

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project  
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXI. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.81vb-83vb)

Nullus potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut uni adhaerebit, et alterum contempnet.

Commented [ND1]: [fol.81vb]

Vides qualiter paulatim ab his quae sunt amouet, et per plura sermonem qui est de abrenuntiatione possessionum inducit, et auaritiae comprimit tyrannidem? Neque enim in anterioribus suffecit, quamuis multis et magnis extentibus, sed et alia apponit ampliora et terribiora. Quid enim his quae nunc sunt dicta, sunt terribiora. Si tamen a christi seruitute propter pecunias excidemus? Quid autem desiderabilius si tamen eas despicientes, certissimam ad ipsum euniam id est bonam mentem, et amorem habebimus? Quod enim semper dico, hoc et nunc dicam. Quoniam per alterutra impellit auditorem ad oboedientiam eorum quae dicuntur, et per utilia et per nociua, quemadmodum medicus optimus, et egritudinem quae est a negligentia, et sanitatem quae est ab oboedientia, demonstrans. Vide itaque qualem rursus monstrat hanc utilitatem. Et qualiter probat id quod confert, ab ereptione contrariorum. Non enim in hoc solum, nobis nocent ait diuitie, quoniam latrones armant aduersum nos, neque quoniam intellectum obtenebrant cum intensione uniuersa, sed quoniam a seruitute nos expellunt dei, captiuos in animalium peccuniarum facientes, et alterutrinque nocentes, et inseruos faciendo quorum dominari oportebat, et in proiciendo a seruitute dei, cui maxime omnium seruire est nobis necessarium. Quemadmodum enim illic duplicem monstrauit iacturam, et hic ponere ubi tinea destruit, et illic non ponere ubi inconsumptibilis est custodia, ita et hic duplex monstrat dampnum, et per ea per quae retrahit adeo, et per ea per quae subicit mammonae. Sed non confestim id ponit, sed a communibus primum id probat intentionibus. Nullus potest duobus dominis seruire. Duos eos qui contraria inungunt, dicens hic. Quoniam nisi hoc esset, neque duo utique essent. Etenim multitudinis credentium, erat cor et anima una, quamuis in multa corpora erant diuisi. Sed tamen concordia, multos unum fecit. Deinde intendens ea ait. Non solum non seruiet, sed et odio habebit, et auertet. Aut enim unum odio habebit ait, et alterum diliget, aut uni adhaerebit, et alterum contempnet. Et uidetur quidem alterum dixisse idem. Non tamen simpliciter ita id composuit, sed ut monstret facilem existentem transmutationem, quae est ad melius. Vt enim ne dicas seruus factus sum, semel tyrannice possessus sum a pecuniis, monstrat quod possibile est transponi, quemadmodum inde in hoc, ita et hinc in illud uenire. Dicens igitur indeterminate, ut suadeat auditorem inflexibilem iudicem esse eorum quae dicuntur, et ab ipsa rerum natura calculum proferre quando accepit eum concordantem, tunc et seipsum reuelat. Induxit itaque non potestis deo seruire et mammonae. Tremamus excogitantes quid preparauimus christum dicere, et cum deo ponere aurum. Si autem hoc terribile est per opera fieri, et preponere tyrannidem auri timori dei, multo est terribilius. Quid igitur in ueteribus non fuit hoc possibile. Nequaquam. Qualiter igitur abraham ait, qualiter iob, bene probati sunt. Ne michi diuites dicas, sed seruientes. Quoniam et iob diues fuit, sed non seruiuit mammonae, sed habuit eas et tenuit, et dominator non seruus fuit. Quemadmodum igitur alienarum dispensator existens pecuniarum, ita omnia illa possedit, non solum quae aliorum erant non rapiens, sed et propria premitens indigentibus. Et quod utique maius erat? quoniam neque presentibus laetabatur, quod et manifestabat dicens, si et letatus sum multis diuitiis michi existentibus. Propterea neque doluit

Commented [ND2]: uel seruitio add. super lin.

Commented [ND3]: uel seruitio add. super lin.

Commented [ND4]: id est add. super lin.

Commented [ND5]: uel demolitur add. super lin.

Commented [ND6]: uel incomprehensibilis add. super lin.

Commented [ND7]: [fol.82ra]

Commented [ND8]: uel illi add. super lin.

Commented [ND9]: sententiam add. super lin.

Commented [ND10]: sibi add. super lin.

Commented [ND11]: fecimus add. super lin.

Commented [ND12]: uel probi facti add. super lin.

Commented [ND13]: tribuens add. super lin.

Commented [ND14]: [fol.82rb]

abeuntibus. Nonne nunc tales qui ditantur sunt? Sed et omni famulo deterius dispositi, quemadmodum tyranno alicui difficili censum ferentes. Quemadmodum enim arcem quandam eorum suscipiens mentem, pecuniarum cupido, precepta omni iniquitate plena inde eis secundum unamquamque mittit diem, et non obediens, nullus est. Non igitur superflua philosophare. Etenim enuntiauit deus semel et dixit. Impossibile esse, hanc et illam conuenire seruitutem. Non igitur tu dic quoniam possibile est. Cum enim hic quod rapere iubeat, hic autem ea quae sunt exuere, hic quidem sobrium esse, ille autem fornicari, hic quod inebriari, et lasciuire. Ille autem uentrem continere, et hic quod despiciere ea quae sunt, ille autem affigi presentibus hic quidem mirari marmora et **muros**, et tecta, ille autem hec depretiari, honorare autem philosophiam, qualiter possibile est hec conuenire? Dominum autem hic mammona uocauit, non propter propriam naturam, sed propter eorum qui ei inflectuntur miseriam. Ita et uentrem deum uocat, non ab huius domini dignitate, sed et a seruientium miserabilitate. Quod omni pena deterius est, et ante penam sufficiens est punire eum qui captus est. Qualibus enim condempnatis, non utique essent miserabiliores, qui deum dominatorem habentes, et a mansueto regno illo, ad difficilem sponte abeunt tyrannidem, et maxime cum tanta ex hac re et hic iactura in nascatur. Etenim dampnum ineffabile ex hac re est, et lites, et uexationes, et agones, et labores, et anime orbationi quod omnibus est difficilius, quoniam a bonis excidit superioribus, quod est dei seruitus. Cum docuisset igitur per omnia id quod confert pecuniarum despectioni, et ad ipsam pecuniarum custodiam, et ad animae uoluptatem, et ad philosophie possessionem, et ad pietatis stabilitatem, demonstrat iam quod et possibilis est hec ammonitio. Hoc enim maxime est **optimae legislationis**, non ea quae conferunt solum inungere, sed et possibilia ipsa **facere**. Ideoque inducit dicens. Ne solliciti sitis animae uestrae quid comedatis. Vt enim ne dicant, quid igitur, si omnia proiecerimus, qualiter poterimus uincere? **iam** instat **oppositio** ualde oportune. Quemadmodum enim si in principio dixisset ne solliciti sitis, uideretur grauis esse hic sermo, ita postquam monstrauit iacturam quae innascitur a phylargiria id est ab amore argenti, facile susceptibilem facit iam hanc ammonitionem. Ideoque neque nunc simpliciter dixit ne solliciti sitis, sed causam proponens ita hoc iniunxit. Postquam enim dixit non potestis deo seruire et mammonae, induxit. Propter hoc dico uobis ne solliciti sitis. Hoc quale est? dampni ineffabilitas. Neque enim impecuniis solum nobis est iactura, sed et in principalibus est uulnus, et in nostrae salutis euersione, ab eo enim qui fecit nos, et procurat, et amat, expellit deo, propter hoc dico uobis, ne solliciti sitis. Postquam enim iacturam monstrauit ineffabilem, et intendit iam hoc preceptum. Non enim quae **sunt** iubet proicere solum, sed neque pro necessario sollicitos esse cibo, dicens. Ne solliciti sitis animae uestrae quid manducetis, non quoniam anima cibo indiget, incorporea est enim, sed secundum communem locutus est consuetudinem. Et si enim non indiget cibo, aliter non utique sustineret morari in corpore, quam cibato eo, et **hoc** non simpliciter id ponit, sed et hic cogitationes reducit, has quidem ex his quae extiterunt iam nobis. Has autem ex aliis exemplis, ab his quidem quae extiterunt ita dicens. Nonne plus est anima cibo, et corpus indumento? **Qui** igitur quod maius est dedit, qualiter quod minus est non dabit, qui carnem quae cibatur plasmavit, qualiter cibum non afferet? Ideoque neque simpliciter dixit, ne solliciti sitis quid comedatis et quid induamini, sed corpori et animae. Quoniam ab ipsis demonstrationem facturus erat secundum comparationem sermonem inducens. Sed animam quidem semel dedit, et manet talis, corpus autem secundum singulam superaddit diem. Quae igitur utraque ostendens, et huius quidem immortalitatem, huius autem corruptionem, induxit dicens. Quis potest apponere ex uobis ad **aetatem** suam cubitum unum? et animam silens, ceu non accipientem additamentum, de corpore disputauit solum. **Ab** hoc et illud ostendens, quod non cibus id auget, sed dei prouidentia, quod et per alia ostendens paulus, dixit, quare neque qui plantat, neque qui rigat, est

**Commented [ND15]:** parietes *add. super lin.*

**Commented [ND16]:** [fol.82va]

**Commented [ND17]:** proprium *add. super lin.*

**Commented [ND18]:** id est *add. super lin.*

**Commented [ND19]:** uel ostendere *add. super lin.*

**Commented [ND20]:** huic *add. super lin.*

**Commented [CN21]:** oppositioni *add. super lin.*

**Commented [ND22]:** nobis *add. super lin.*

**Commented [ND23]:** dicens *add. super lin.*

**Commented [ND24]:** [fol.82vb]

**Commented [ND25]:** staturam *add. super lin.*

**Commented [ND26]:** ex *add. super lin.*

aliquid, sed qui auget deus. Ab his quidem quae extiterunt, ita promouit, ab aliis autem exemplis inspicite ad uolatilia caeli dicens. Vt enim non dicat aliquis quoniam proficimus sollicitudinem habentes, et a maiori et a minori eos dimouet. A maiori quidem ab anima et corpore, a minori autem, a uolatilibus. Si enim in his quae ualde deficient, tanta cura est ei, qualiter nobis non dabit ait? Et ad hos quidem ita. Turba enim erat, interim plebeia. Diabolo autem non ita. Sed qualiter, non in pane solo uiuit homo, sed in omni uerbo procedente de ore dei. Hic autem auum meminit. Et uade incitatie, quod maximam in ammonitionis rationem habet uirtutem. Sed in tantum amentiae uenerunt quidam impiorum, ut et in exemplo capiantur. Non enim oportebat ait electionem erigentem, a naturalibus super habundantiis in hoc inducere. Illis enim hoc secundum naturam adem, ait. Quid igitur ad hoc utique dicemus? quoniam et si secundum naturam illis adem, sed possibile est et nobis ex electione innasci hoc. Neque enim dixit, quoniam uolant uolatilia quod impossibile erat homini, sed quoniam nutriuntur sine sollicitudine, quod et a nobis si uoluerimus, facile est dirigi. Et hoc monstrauerunt qui per opera id explerunt. Ideoque dignum est maxime ammirari, legislatoris prudentiam. Quoniam ex hominibus habens hoc exemplum tribuere, et potens dicere heliam, et moysen, et iohannem, et alios tales qui non solliciti fuerunt, ut eos tangat, irrationalium meminit. Si enim dixisset iustos illos, habent hii dicere, quoniam nondum sedem illos facti sumus. Nunc aut silens eos, et uolatilia caeli inducens, omnem eorum abscondit occasionem, et hic ueterem imitans legem. Etenim et uetus testamentum, et ad apem mittit, et ad formicam, et ad turturem, et ad irundinem. Non parua autem et hoc honoris est ostensio, cum ea quae illa a natura habent, haec possumus nos dirigere electione. Si igitur eorum quae propter nos sunt, taman facit prouidentiam, multo magis nostrum. Si seruorum multo magis dominatorum. Propter hoc dixit, inspicite ad uolatilia celi, et non dixit quoniam non in tabernas intrant, neque mercantur. Hec enim eorum qui ualde sunt abiecti, erant, sed quid non seminant, neque metunt. Quid igitur non oportet seminare ait? Non dixit quoniam seminare non oportet, sed quoniam sollicitos esse non oportet. Neque quoniam operari non utile est, sed quoniam pusillanimum esse, et extendere seipsum curis non utile est, quoniam et cibari iussit, sed non sollicitos existentes. Hunc et dauid antiquitus premitit sermonem, enygmatische ita dicens. Aperis tu manum, et imple omne animal beneplacito. Danti iumentis cibum ipsorum, et pullis coruorum inuocantibus eum. Qui igitur non solliciti fuerunt ait? non audistis quantos induxi iustorum? nonne uides cum illis iob a paterna domo nudum recedentem? Non audis eum orantem et dicentem. Si dederit michi dominus panem comedere, et uestimentum circum indui. Quod non sollicitudinem habentis, sed adeo omnia petentis erat. Hoc et apostoli direxerunt uniuersa proicientes, et non solliciti existentes, et quinque milia et tria milia. Si autem non sustines tanta audiens uerba, absolute teipsum a difficilibus his uinculis, insensibilitatem huius rei excogitans, dissolue curas. Quis enim ex uobis ait sollicitus existens, potest apponere ad staturam suam cubitum unum? Vides qualiter a certo et incertum manifestum fecit? Quemadmodum enim corpori ait, neque paruum poteris apponere sollicitus existens, ita neque cibum congregare, et si ita estimes, ab hoc manifestum est quod non nostrum studium, sed dei prouidentia, et in quibus estimamus agere, totum complet, ut si ille nos dereliquerit, non cura, non sollicitudo, non labor, non aliud aliquid talium apparet umquam sed omnia euanescent. Ne igitur estimemus impossibilia esse haec precepta. Multi enim sunt qui dirigunt haec et nunc. Si autem ignoras, mirabile nichil est. Quoniam et helias putauit esse solus, sed audiuit, quoniam dereliqui michi ipsi septem milia uirorum. Vnde manifestum quod et nunc multi apostolicam sunt ostendentes uitam, quemadmodum et tria milia tunc et quinque milia. Si autem non credimus, non a non existendo eos qui diligunt, sed a distando multum ab hac re. Quemadmodum igitur ebrius non facile credet, quoniam est aliquis homo neque de aqua gustans, et si et hoc multi direxerunt in

**Commented [ND27]:** a sollicitudine *add. super lin.*

**Commented [ND28]:** a nobis *add. super lin.*

**Commented [ND29]:** uel consilium *add. super lin.*

**Commented [ND30]:** christum *add. super lin.*

**Commented [ND31]:** causis *add. super lin.*

**Commented [ND32]:** uel consilio *add. super lin.*

**Commented [ND33]:** [fol.83ra]

**Commented [ND34]:** uel possent *add. super lin.*

**Commented [ND35]:** uel nostri *add. super lin.*

**Commented [ND36]:** patria *add. super lin.*

**Commented [ND37]:** [fol.83rb]

**Commented [ND38]:** uel amentiam *add. super lin.*

**Commented [ND39]:** quod *add. super lin.*

**Commented [ND40]:** Morale xxi. quoniam qui secedit ab auaritia, potest cito misericors effici. *notum in marg.*

**Commented [ND41]:** hoc est *add. super lin.*

**Commented [ND42]:** uitam apostolicam *add. super lin.*

**Commented [ND43]:** nos *add. super lin.*

**Commented [ND44]:** quod non bibunt *add. super lin.*

nobis monachi, et decem milibus mulieribus mixtus, quoniam facile est uirginitatem custodire, neque aliena rapiens, quoniam et sua aliquis facile tribuet, ita neque qui secundum unumquemque diem decem milibus curis. Seipsos delinquant, non facile utique hoc suscipient. Quoniam igitur multi sunt qui hoc direxerunt, ab ipsis possibile est nobis ostendi, qui haec philosophantur, et in nostra generatione. Sed nobis interim sufficit, non auaros esse addiscere, et quoniam bonum et helemosina. Scire quod oportet de eis quae sunt aliis tribuere. Haec enim si direxeris dilecte, uelociter et ultra procedes, interim igitur superfluum pretiositatem deponamus, et moderatione contenti sumus, et discamus a iustis laboribus possidere uniuersa quae erimus habituri. Quoniam et beatus iohannes cum differebat his qui circa teloneum uacauerunt, et militantibus contentos esse pulmentis precepit. Volebat enim et ad aliam maiorem eos ducere philosophiam. Quoniam autem nondum ad haec erant apti, quae minora sunt dicit, quia si altiora his dixisset, neque illis intendissent, et ab his excidissent. Propter hoc et nos, in his quae minora sunt, uos exercitamus. Etenim interim scimus, quoniam maius uobis, abrenuntiationis possessionum est onus, et quantum distat caelum a terra, tantum a uobis philosophia illa. Quocirca saltim in ultimis preceptis capiamur. Neque enim haec parua est mitigatio, quamuis apud grecos quidam et hoc direxerunt, et si non cum decenti consilio, et quae erant omnia exuerunt. Sed tamen nos sufficimus in uobis, helemosinam copiosam tribui a uobis. Velociter enim et ultra ueniamus si ita processerimus. Si autem neque hoc fecerimus, quae utique erimus uenia digni, qui eos qui in ueteri testamento sunt superexcedere iussi sumus, et his qui apud grecos sunt philosophis minores apparemus? Quid utique dicemus cum debentes esse angeli, et filii dei, neque homines esse obseruauerimus? Rapere enim et auaros esse, non hominum mansuetudinis, sed ferarum est crudelitatis. Magis autem et illis deteriores sunt qui alienis super apponuntur. His enim a natura hoc adem. Nos autem qui ratione honorati sumus, et ad eam quae preter natura est cecidimus ignobilitatem, qua potiemur uenia? excogitantes igitur mensuram preiacentis nobis philosophiae saltim ad media deueniamus, ut et a futuro eruamur supplicio, et uia prouenientes, ad ipsum ueniamus uerticem bonorum, quibus sit omnes nos potiri gratia, et filantropia id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cum gloria et imperium, in secula seculorum amen.

**Commented [ND45]:** liquefaciunt *add. super lin.*

**Commented [ND46]:** est *add. super lin.*

**Commented [ND47]:** [fol.83va]

**Commented [ND48]:** id est nectigaleum *add. super lin.*

**Commented [ND49]:** [fol.83vb]